

R. XII, 5. QK. XII, 1. (x1883887)

In  
1563

Quod bene vortat!

PENTADEM

# IMPERATORUM GERMANO-SA- XONUM,

*Quae est*

## EXPERIODO IV. IMPERATORUM DYNASTIA. II.

*Nempe*

HENRICUM I. AUCUPEM, OTTO-  
NEM I. MAGNUM, OTTONEM II. OT-  
TONEM III. HENRICUM II. SANCTUM  
ET CLAUDUM,

Stricturis Historicæ relationis præcipuis  
adumbratos,

PRÆSIDE

## CHRISTOPHORO CAL- DENBACHIO, El. Historiarum ac Poes. Prof.

*Ad d. IV. Augusti,*

Horis Pomerid.

In Aula Philosophorum Renovata,

*Publicæ disquisitioni submittit*

JACOBUS MAYER, Lipsiensis.

TÜBINGÆ,

Typis JOHAN-HENRICI REISIL

ANNO M DC LXV.

20.



# V I R I S

*Nobilissimis, Magnificis, Admodum  
Reverendis, Excellentissimis, Consultissimis, Variorum in Pa-  
triam & Ecclesiam Orthodoxam meritorum pon-  
dere maximè Conspicuis,*

DN. CHRISTOPHORO Pinferten / J. U. D. Se-  
renissimo Saxoniæ Electori in Supremo Appella-  
tionum Judicio à consiliis, Scabinatus, qui Lipsiæ  
est, Assessori, Reip. Patriæ CONSULI:

DN. PAULO Wagenern / J. U. D. Supremæ Curiæ  
Provincialis Electoris & Ducum Saxoniæ, nec non  
Facultatis Juridicæ Lipsiensis Assessori, Reip. Pa-  
triæ CONSULI:

DN. CHRISTIANO Lorenz von Adelershelin / Sere-  
nissimo Saxoniæ Electori à Cameræ Consiliis, Sca-  
binatus, qui Lipsiæ est, Assessori, ut & Reipub. Pa-  
triæ CONSULI:

DN. GEORGIO WILHELMO KULEWEIN,  
J. U. D.

DN. ADRIANO STEGERN, Reip. Patriæ Judici:

DN. CYRIACO HEIDELBERGER, in supremo  
Electorali Judicio Præfecto:

DN. JOHANNI ULRICO Mayer / SS. Theol.  
Licentiato:

DN. THOMÆ STEGERO, SS. Theol. Baccalau-  
reo: Utique ad S. Thom. Pastor:

Dominis Fautoribus, Patronis, & Affi-  
nibus æternùm suspiciendis.



**I**gna vox est Oratore Tullio: Ne-  
 scire, quid ante te sit actum, id vero est semper  
 esse puerum. Quā ut virum rebus, pace  
 belloque, publicè gerendis idoneum  
 reddat, eam ab eo exigit prudentiam,  
 quæ cadere in pueros quidem ob ætatem teneram vix  
 potest: cæterū ex lectionis Historicæ assiduitate, &  
 studio, tanquam ex fonte quodam limpidissimo, lon-  
 geque uberrimo, vel in primis petitur; unde nimirum  
 & sagacitatem animum in formando rerum quarumcun-  
 que judicio, & promptitudine linguam in suppeditandis,  
 quæ præsint publicè, consiliis instruere feliciter, & im-  
 buere possis. Hæc enim est illa sola & unica velut *civi-*  
*lis prudentiæ Cynosura*, ad quam actio omnis normata & di-  
 recta, in publicæ salutis ac tranquillitatis portu con-  
 quiescere facile, feliciterque citra dubium queat. Ea  
 cogitanti mihi, non externarum modo gentium res  
 gestas, sed & præcipue patriam Germanorum veterum, atque  
 inter hos Saxonum, historiam perlustrare hactenus; & per-  
 currere eo, quo potui, studio, operæ fuit pretium visum;  
 quippe quæ exemplorum varietate, bellorum gestorum  
 magnitudine, Ducū præstantiâ, nulli facile alteri cedit.  
 Saxonum sane ea fuit olim domi peregregq; spectata vir-  
 tus, ut, quoties hac ex natione IMPERATOR eligere-  
 tur, hostium indubie is simul VICTOR expectaretur.  
 Hi sunt in primis, si qui alii, Imperatores, qui pro IMPERII  
 TEUTONICI MAJESTATE adversus Italorum frau-  
 des machinasque, & illam Romanorum Pontificum  
 insolentiam ac fastum, sedulo, atque æterna cum nomi-  
 nis sui gloria, animo nunquam non imperterritio excu-  
 buerunt. Nec est parvi istud putandum, quod transcri-

pta

pta ea omnia ab *incorruptæ fidei Historicis*, qualis *Witichinus*, Ordinis S. Benedicti Monachus, qui *Henrici I. & Ottonis I.* historiam tribus libris sub Ottone II. consignavit, ac Reginæ *Mechtildæ*, Ottonis I. filiæ, inscripsit; qualis item *Luitprandus*, *Dithmarus*, *Episcopus Merseburgensis*, & plures alii, ad nostram usque ætatem pervenerunt. Ex illa ergo Historiæ parte, cum peracto in Galliam & loca finitima itinere, subsistendum mihi aliquantulum in inclyta hac Academia Tübingensi foret, feligere Theses præsentes, expositasque publico examini, inscribere IN CLYTIS NOMINIBUS VESTRIS, æquum, mihi que congruum esse duxi. Huc enim merita mea Vesta, supraque laudem præstata in Ecclesiam simul, & rem patriam, officia præclara adegerunt. Vestris Consiliis SERENISS. Ac POTENTISSIMUS PRINCEPS, *Saxoniae Elector*, ipse ex laudatis Imperatoribus oriundus, utitur. Vestrâ vigilantia, curisque gaudet ferax illa fortissimorum militum, cuius elogiis hæc scribuntur, *tellus*. Vester denique singularis in me, meosque favor hanc quasi tesseram gratitudinis jure optimo, maximo postulabat. Quam dum, quâ parest, demissâ observantiâ, pronoque cultu, VOBIS exhibeo, id unum precor: *Vivite ac vigete quam diutissimè PRINCIPIS, Patriæ, Nostra, Columna & Ornamenta.* Tübingæ, 30. Jul. M. DC. LXV.

Nobilissimis ac Magnificis,  
Summeque Rever. Excell. Vestris

addictissimus omni nexu  
Cliens

Jacobus Mayer, Lipsiensis.

IMPERATORES GER.  
MANO-SAXONES;

*Quæ est*

EX PERIODO IV. IMPERATORUM  
DYNASTIA II.

**I**N Imperatorum Germanorum serie, post Dynastiam Primam, quæ Francorum est, rectè sequitur Altera, quæ est Saxonum, & quinque Imperatores comprehendit. De quibus jam certo ordine.

• I. HENRICUS A U C E P S.

I. Cognomen huic *aucupia* dedere, sive quod iisdem impensè delectaretur; seu quod occuparetur illis, cum perventuri ad se Imperii nuntium & insignia prope Goslariam caperet. De quo Sabinus:

*Fallere quod volucres laqueis, viscoque solebat,*

*AVCVPIS, aucupii nomen ab arte, tulit.*

Progenitus ex Othono, Saxoniæ Duce, fuit, qui Imperium, ante Conradum sibi delatum, propter ingravescensem ætatem recusarat. Seu vires ejus spectemus, seu virtutes, utrinque tanto axiomate istis temporibus, si quenquam, dignum comperiemus. Tenuit sane Saxoniam, Thuringiam, Hassiam, Wetteraviam, Westphalię, & Angrivarię hæreditarias. Quod autem prudentiā, fortitudine, moderatione, ac felicitate cæteros ævi sui Principes facile superaret, antecessor eum suus, Conradus I. nequicquam antè adversarium expertus, non Proceribus tantum, morti jam propinquus, commendavit, ut qui collapsas Imperii res instauraturus egregiè esset: sed & per Eberhardum, fratrem suum, ornamenta Imperii ipsi transmisit. *Chron. Hedionis.*

A

II. Pri-

II. Primum, idque insigne *modestiae* specimen Frislariæ in Imperii Comitiis, sub ipsa mox sceptri auspicio, anno C M XIX. edit; ubi, cum declinare honorem non posset, coronationem tamen ab *Herigero*, Moguntino Archiepiscopo, non admisit: quod in iudiciis & suffragiis bonorum virorum, ipse quidem honore indignus, acquiescendum duceret sibi, diceretque. Quapropter & tanto maiorem in se populi universi plausum excitavit. *Cuspius*. Sed nec Papalis quidem coronæ ullo unquam flagravit desiderio. Unde Comes Weringanus, Hermannus Contractus: *Henricus*, natione *Saxo*, in regno electus, sine regali unctione regnavit. Cui capropter tamen illud ex Epistola Adriani IV. Ut rex Teutonicorum non prius Imperator vocetur, quam ab Apostolico coronetur, objiciendum minime videtur. Quippe qui, cum aliis Imperatoribus sat multis, imperavit non coronatione Pontificia, sed naturali successoris auctoritate; non symbolo, sed re; non accessione, sed essentia; non ceremonia, sed veritate; frustra tum ringente, & ægerrimè ferente hanc Imperialis fastigii ad Saxones derivationem, Romanorum Pontificum choro omni, qui interea desultoriâ levitate Berengarium, Guidonem, Lambertum, Ludovicum, Bosonis filium, Hugonem & Lotharium inaugurarant.

III. Ut primum ad sedandos Germaniæ motus animum applicavit, emulum primò, Sueviæ Ducem, *Burchardum* invenit, qui, fretus affinitate Rudolfi, Burgundia regis, de augustali dignitate Henrico controversiam movit. Sed is, simul adventare contra se cum exercitu Henricum inaudivit, cristas demisit, & fidem Imperatori ( liceat enim sic appellare, cum ipse rex tantum Germaniæ audire vellet ) juravit. Mox & *Arnolphum* ( alii *Arnoldum*; Sledanus *Malum* cognominat ) anno C M XXI. ex Hungaria ad suos, inque Ducatum Bavariæ, unde à Conrado Imp. pulsus fuerat, reducem, Imperiique diadeina affectantem, prudentiâ magis, & humanitate, quam armis, vicit. Eum quippe prope Ratisbonam, cum jam infestæ utrinque ad dimicandum starent acies, ad secretius de salute publica colloquium per caduceatorem evocatum, ut fatis, ac divino consilio, non fortunâ, obvenire regna commonuisset, quamque *indignum* foret, innocentem tantâ copiâ profundi sanguinem.

nem, haud difficulter in obsequia sua pertraxit, firmato etiam nova per connubia fœdere; filiam nempe suam Gerbergam, ( alii Rixam) Arnolphi filio; Juditham vero, Arnolphi filiam, suo filio Henrico pactus. Cui fœderi ea accessit conditio, ut Episcopos suæ ditionis confirmandi potestas Arnolpho esset. *Luitprandus.* Inde Lotharingiam à *Carolo Simplici*, Francorum Rege, possessam, in fœdus item hostilitate omni desinente, Imperio restituit. Paulo post *Hungari*, quod tributa, ab Imp. Ludovico IV. & Conrado promissa, non solverentur, funestas in Germaniam latè, Galliamque excusione faciunt. quos, ubi Magdeburgum penitus exciderant, Bremamque cremarant, omnibus belli artibus Imperator, cum armis vix posset, cohibuit tandem: captoque eorundem Duce, non aliâ conditione hunc restituit, quam ut, annuis muneribus acceptis, in novennium pacem colerent. *Spangenb.*

**I V.** Cum vero, nisi pace jam provisa, & accurata, vix bella feliciter succedant; hostium propulsioni, belloque, *pacis instituta* admiscauit, *arcesque*, & *oppida* probè munita hinc inde extruxit, aut jam extructa munivit, eâ lege, ut *agricolarum nonus quisque* in urbes reciperetur, cui tertiam fructuum partem rusticani illi tradarent; idque non pro alimonia saltem eorum, qui ex agro translati essent: sed ut, perfugium quoque hîc suum nacta, per hostiles incusione plebs rurestris cætera sustentaretur. Sed & *nundinas*, *nuptiasque*, & *omnem* celebriorem *conventum* à colonis institui in urbe voluit; ut urbicorum ita paullatim moribus assuefierent, & in quasvis præterea temporum vices animi, magis magisque coalescentes, tanto arctius combinarentur. Igitur & *armilustria* statis temporibus per civitates & pagos definivit, quibus qui in exercitiis & præparamentis militaribus expeditiores se cæteris exhibuerent, præmia certa, & nobilitatis nonnunquam insignia reportarent. Unde nimirum orta quoque magnam partem, quæ nunc in agris est, *Nobilitas*; quique in urbibus, *Patriciatus*. quos communi nomine *Militares* & *Ministeriales terræ* Cranzius appellat. Pari prorsus ratione quintum quæcumque oppidanorum armis & disciplinæ bellicæ destinabat, cui de stipendiis item, & armis, reliqui prospeçtarent. Atque ita, ne qua bello utilis unquam juventus deesset,

cavit sedulò. Est & hoc de ejus instituto, ut *ad arma*, cum esset opus, *primogeniti* exirent, armaturæ hinc patriæ in exercitudo familiæ hæredes futuri.

V. Sed ad *bella* Henrici revertamur, quæ *Marchias* hinc inde, seu *Præfecturas* limitaneas, instituendi ei ansam præbuerunt. Cum enim *anno seculi XXV. Vandali* (alias *Slavi* & *Heneti*) ad Suevum, Oderam, & Havelum fluvios, jam cæsi, fusique aliquoties, in Brenni se tandem arcem, quæ Brandenburgum est, recepissent, vehementius inde *Cæsarem* oppugnaturi: facto sibi per glaciem hibernam ad urbem accessu, ita afflixit eosdem, ut dedere se co-gerentur. Quos eosdem *anno CMXXIX.* in Saxoniam reduces, per Duces suos, Bernhardum, Ducem Lunæburgensem, & Comitem Withinensem, eo armorum successu exceptit, ut, Cranzio teste, juxta Balthicum mare cæsa ad centena & viginti eorum millia sint. Quo vero excusiones Vandalorum ulteriores prohiberet, Marchionem urbi præfecit *Sigefridum*, Comitem Ringelheimensem, qui primus *Marchio Brandenburgensis* factus. *Cranzius.* Domitis porrò Sorabis, captaque corundem urbe Grunau, Misenam *anno XXVIII.* exstruxit, primumq; *Misniae* Marchionem, Comitem Withinensem, cognatum suum creavit: & Praga obsessa, cum Duce Bohemorum *Wenceslao*, Christiano, fœdus iniit, qui anno sequenti Boleslai perfidia in templo trucidatus est. Ita contra Hungaros primum *Austriae* Marchionem *Leopoldum*, Sueviæ Ducem, consti-tuit. *Trith.* Nec minus contra Danos, devicto per suos Duces eorum rege, Vormio, quem alii Germonem vocant, Marchiam *Slesvicensem* condidit; quæ in Episcopatum deinceps transiit. Nomen inde Cimbricæ Chersoneso inditum *Danomarchia*. *Lusatica* item, & *Landsbergensis* Marchiæ ab eo institutæ feruntur.

VI. Inprimis autem *anno CM XXXIII.* Hungaros, clauso novennio non munera tantum, sed tributa etiam exigentes, cumq; hæc negarentur, & ipsi insuper oblato *cane villatico*, *scabioso* & *zonso*, delusi essent, adjunctis sibi Slavorum ingentibus copiis, Germaniam latè populantes, clade memorabili affecit. Exercitum illi suum, qui trecentorum millium fuisse dicitur, postquam per scelerum genus omne in Orientali Germania hyemem transegissent, redeun-

redeunte vere, in partes diviserant. Alteram, quæ in Thuringiam abierat, Comes Sundershusanus internecione fere delevit. Qua strage auditâ, alteram prope Mersburgum ipse Imperator, acclamante inter pugnam exercitu: κύριε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον, non minus feliciter fudit, dissipavitque. Reliquis cæsi exercitus aliud ludi-brium additum. Truncatis enim naribus, auribusque, domum remissi, atque hæc popularibus accepti tributi monumenta ostendere jussi sunt. *Avent.* Dicitur, antequam in prælium Imperator, licet corpore parùm validus, iret, voto se illigasse, ubi Hungaros profli-gasset, vulgatissimum eo tempore *Simoniæ* cacoëthes, quo munia Ecclesiastica pecuniis locabantur, penitus se aboliturum. quod voti reus præsttit Luitpr. *l. 2. c. 8.* In quo & hoc laudabile, quod expetita Hungaris tributa in usus divinos, pauperumque, impedit. Gottfridi Chronicon ad hoc quoque bellum Hungaricum memo-rabilem quandam Monomachiam inter Johannem Dollingerum, Ratisbonensem, & Craconem, Ducem Hunnorum, vastæ altitudi-nis, accenset. Ducibus deinde suis cum pro fide eximiâ splendi-dum *Gottinge* epulum adornaret Henricus, in perpetuam prælii tanti memoriam *torneamenta*, sive ludos cataphractorum equitum, ceu scholas quasdam generosæ virtutis, revocari, si quicquam de veterum institutis, dignas, pro exercenda Germaniæ Nobilitate instituit, legibusque certis, quas Spangenbergius, & Münsterus *Cosm. l. 3. c. 449.* recensent, quarumque hæc princeps, ut ne quis scelere ullo infamis admitteretur, circumscripsit, non sine privile-giorum ac immunitatum omnis generis huc facientium indultu. Estque prima ludorum solennitas Magdeburgi præsente Henrico celebrata, ubi **DCCCCLXXIX.** galeæ repræsentabantur, & altio-ris dignitatis fastigium Plessius concendit.

VII. *Pietatem & religionem Imperatoris multatestantur.* Præ-ter Episcopatum Brandenburgensem, alterumque in Holsatia, Ec-clesias Misniensem, Havelbergensem, & Brandenburgensem condidit. Obetritos, Vandalorum gentem, ad fidem convertit; quod idem in Heneta gente, templis hinc inde exstructis, curavit. Inter Danos e-tiam, Normannosque, & Svecos cultum religionis, post Ansgarium pene collapsum, restituit. Et, si hoc quicquam ad fidem, quod *He-*

gio narrat, lanceam, quæ Christi latus perfoderat, à Rudolpho Burgundo, Suevorum ipsi donatâ provinciâ, redemit, quæ Insignibus Imperii addita. *Sigeb.* Neque hoc indignum relatu, quod castris, quotiescumque militaret, exesse scorta jusserit; unde nomen locus quidam haud procul à Mersburgo, ubi tumulum, quos Hungari ceciderant, castissimi milites invenerunt, *Montis casti* acquisivit. *Chron. Pomarii.*

VIII. Pacatâ denique Germania, Italiâ autem tyrannis relictâ, quam ingredi frustra meditabatur, Imperator laudatissimus, *pacis, quam glorie studiosior,* paralysi decepsit Meinlebiæ, anno seculi XXXVI. etatis LX. imperii XVII. mense VI. postquam successorem filium Ottонem designasset. Sepultus autem Quedlinburgi in cœnobio fuit, quod ipse fundaverat; cuique filiam Mechtildem Abbatissam dederat. Sigebertus auctor est, montem juxta sepulchrum ejus flamas undique vomuisse: quemadmodum & Sol hebescentibus derepente, iisque cruentis, altô die radiis signasse, & luxisse obitum ejus fuit existimatus. Ex Hatburga, quam viduam, eamque Monialem duxerat, Tanquardum: &, hac cœnobio remissâ, cum probare conjugium Episcopi nollent, ex Mechtilde Ottонem successorem, Henricum Rixosum, & Brunonem, Archiepiscopum Colonensem, tres filios: sed filias quinque genuit. Symbolum ei tribuunt: *Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox;* quod ita Reusnerus extulit:

*Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:  
Nam virtus magnos hac facit una Deos.*

## I I. OTTO I. MAGNU S.

I. Ex patre is nondum Imperatore natus, alterum *nomen*, juxta *Festum*, à Thessalico Α' τλα, unde Latinum Otto, quod *patrem* notat; atque sic à paterno affectu: alterum autem à præstantia virtutis, & rerum gestarum *magnitudine* habet. Quippe majorem eo post Carolum Magnum Germania vix habuit. Primum nomen antiqui cum aspiratione etiam efferebant, & pro Otto *Hatto* dicebant. Unde notus de tribus Ottonibus versiculos:

*HATTO, post HATTO, regnavit tertius HATTO.*

Nullis

Nullis equidem non præditum animi corporisque dotibus , tamque læta insuper in dñe Historiæ perhibent, ut alterum hinc cognomen-  
tum nactus, *Amor mundi* diceretur. Cumque paternaæ appellationis  
numeros omnes absolveret, placabilitate tamen, & clementiâ in sup-  
plices vel maximè eam promeruit ; hoc ipso Trajano aut Tito nemini  
ni postponendus. Meritò ergo de eo Micyllus :

*Hunc habuit summum Saxonis ora virum.*

I I. Cum inter arma Parentis adolevisset, non nisi nuptus  
demum primaliterarum elementa, atque ita legendi scribendiique ar-  
tem comprehendit. Pensavit tamen moram acumine ingenii, Itali-  
cam etiam, Vandalicamque, linguas probè edoctus. Symbolum ges-  
sit ex asse sibi conveniens : *Aut mors, aut vita decora.* Quod aliis,  
nec valde diffonis, verbis sic quoque reddidere : *Satius est, pro justi-  
tia mori, quam turpiter fugere.* Primis autem sibi nuptiis, nondum  
Cæsar, de consilio parentis Editham, Edmundi Anglorum regis fi-  
liam; juxxit; ex qua Ludolphum, Sueciæ Ducem, & Wilhelmum,  
Episcopum Moguntinum, filios; filiasque Ludgardam, & Mechtil-  
dem procreavit. Ab hac conjux quindecennalis diremthus, alteram  
Adelheidem, Lotharii regis Italæ viduam, duxit, exque illa Hen-  
ricum, Brunonem, & Ottonem I I. cum filia, matri cognomine,  
suscepit. Cæterum Regni coronam Germanici, post mortem illico  
Patris, anno nimirum **C M X X X V I.** Aquisgrani ab Hildeberto,  
Moguntiæ Episcopo, accepit; alteram autem, quæ Romæ confer-  
tur, anno demum **C M L X I I** fuit adeptus.

I I I. Ferax *bellorum*, cum externorum, tum civiliū, ipsi  
contigit imperium : sed cui examissim compar ejus magnanimitas  
esset. Principia mox Tanquardus (al. Tancmarus) & Henricus,  
fratres, cum sociis turbarunt. *Tanquardus*, prælatum sibi ab Otto-  
ne, in conferenda Marchia Brandenburgi, Geronem Comitem  
ægrè ferens, Eberhardum Palatinum, etiam ante Cæsari infestum,  
adsciverat sibi: jamque Bardevicum urbem expugnarant, diripue-  
rantque. Mox & Eresburgum (ut alii, Brandenburgum) Tanquar-  
dus ceperat ; unde vicinos non parum infestabat. Igitur Cæsar,  
qui legationibus ad fratrem nihil profecisset, obsidere urbem. quem  
cum oppidani, extrema metuentes, intra mœnia haud difficulter

ad-

admitterent, impetu furentis militis in templo Tanquardus, quò securitatis causâ confugerat, occiditur. Henricum autem, quem Bardevici captum Eberhardus abduxerat, hic ipse adversus Imperatorem, assumto Giselberto Lotharingo, & Friderico Moguntino, Imperii spe, & promisso, quasi majori natu id deberetur, concitavit. Contra quos, qui juramento jam Salfeldiæ cœptam rebellionem firmarant, tendens Otto, jamque ad Rhenum, ultra quem hostilis stabat acies, transgressus; cum vix ducentos suorum, deficientibus fortè naviis, transvexisset: *supplicando magis, quam pugnando, vicit.* Post preces enim, quas, equo desiliens, ardentes Imperator summo in discrimine fudit, cum, in binas cohortes divisis illis, qui flumen transferant, copiis, altera hostem à tergo adoriretur, quasi panico terrore percussi, in fugam aguntur omnes. *Pantal.* Sed vero, cum multi alii confictus intercessissent; ipseque etiam Henricus Ludovicum Galliæ regem, spe recuperandæ Lotharingiæ, in Alsatiā, inque partes attraxisset; apud Andernacum tandem anno seculi *XLIX.* ex improviso hostem, Imperatoris exercitus aggressus est; ubi Eberhardus quidem confossus gladio, Giselbertus autem Reno submersus, cùm, equo insidens, trajiceret flumen, periit. quem interitum Virgo Monialis Gandersheimensis, Rosvita, al. Rosvinda, *de gestis Oddonum* ita descripsit:

*Nec mora; percussus periit gladiis Everhardus:*

*Giselbertus savis fugiens quoque mergitur undis.*

Adeò justam tandem incurruunt pœnam, quotquot sunt legitimi Magistratus contemtores. *Witichind.* Henricus, quanquam bello desperans, ad fraudem conversus, paullò post sicarios in fratrem Ottonem immiserat; qui comprehensi etiam Quedlinburgi, atque ultimo suppicio affecti sunt: cum tamen Francofurti Imperatori, per solennia Natalitia templum intranti, atratus deinceps supplexq; occurreret, non veniam modò delicti, sed Ducatum etiam Bavariæ à fratre impetravit. De quo verè illud Ovidii usurpes:

*Quò quisque eſt major, magis eſt placabilis ira:*

*Et faciles motus mens generosa capit.*

Itaque & tantâ hâc suâ mansuetudine Henricum pervicit Cæsar,

ut

ut posthac non nisi fidum sibi, gratumque experiretur. Parilenitate Episcopum Moguntinum, post exiguum captivitatem dimisit Cæsar. Cum Ludovico autem Gallo transegit, pactaque nuptiis sororis suæ Gerbirgæ, Giselberti viduæ, in matrimonium Ludovico elocatæ, confirmavit.

IV. Has ipsas cœptivix Imperii turbas Boleslaus, dux Bohemiæ, homo inquietus, non parum auxit, qui fratrem Wenceslaum, recens Christianum, ad aras trucidarat, finitimosque Imperii Principes, odio fidei, excursionibus infestabat. Invocatus ergo à suis, Imperator Bohemo primùm E'iconem, Ascaniæ Comitem, opposuit; quem unà cum legione Mersburgensem, celeberrimâ tum temporis, incautum, postquam feliciter conflixisset, Barbari oppræserunt. Inde, cum & alter Dux Hermannus, quem suis auxilio misserat Imperator, dolo fratri Eccardi impeditus, nihil proficeret, ipse in Bohemos Cæsar movit, iisque, cæsis secundo Marte, tributum imposuit. Annus fuit seculi XXXVII. quo Bohemorum ita vires Imperator attrivit. Sed nihilo minus ab ipsa clade altiores spiritus sumens, Wenceslaus, bellum instauratum in annos aliquam multos protraxit; donec tandem ipsa diuturnitate fractus, Pragæque, quod anno CMXLIX. factum, obfessus, gratiam Ottonis petiit, & imperavit, Christianus simul, & Imperii Vasallus factus.

V. Atrocius ei præ cæteris cum Hungaris bellum fuit, bis impedito ab iisdem: semel anno mox CMXXVII, imperii auspice; quo tempore, minori tamen cum labore, ab agresti & oppidana hinc inde turba, haud inassuetâ manu arma corripiente, cum, divisi copiis, Saxoniam popularentur, repressi fuere: deinde autem anno seculi LV. quando, continuis præliis robur Imperatoris imminutum penitus rati, solicitatique etiam à filio ejus Ludolphe, cā multitidine per Bavariam in Germaniam impetum fecere, ut, nisi cælo obruerentur, aut terrâ absorberentur, invictos se jactarent. Verùm, ut cunque, in litore Lyci prope Augustam aggressi eosdem, Cæsariani exercitus nutantem primo conflictu fortunam experientur, Cæsaris tamen & affatu, & exemplo exstimulati, insignem ab hoste vitoriam pepererunt. Capti inter cæteros tres Hungarorum Reguli, & Henrico Bayaro, qui, morbo detentus, per Duces rem egerat, trans-

missi sunt. Is suspendi captivos jussit. Gloriæ in primis permultum ex isto prælio ad *Conradum Sapientem*, Cæsar is generum, redundarat. Sed is, cum respirationis causâ, æstu defatigatus, galeam forte vultu dimovisset, sagittâ trajectus, Wormatiæque sepultus fuit. *Praedam omnem Imperator usibus sacris* consecravit; qui nec nisi indicto castris jejunio in aciem exierat. *Tam arcto undique nexu curam castris armisque sociavit.*

V I. Hæc Galliæ porro ut inferret, *Hugo Capetus*, Comes Parisiensis, in causa fuit, qui Ludovicum, regem Galliæ, quod Heribertum, patris sui inimicum, suspendisset, & Wilhelmum Normannum trucidasset ex infidiis, in custodia tenebat, regno privatus eundem. Dignam judicavit hanc affinis sui contumeliam Imperator, quam vindicaret XXXII. bus conscriptis legionibus; cum præsertim haud obscurè axiomati Monarchico Hugo inhiaret. Quin minis absterrere à liberando Ludovico Cæsarem haud fuerat veritus, additâ exprobatione mollitiei Saxonice, se vel terna aut septena, juxta alios, Saxonum jacula häustu unico absorpturum. Itaque, ni quiesceret Imperator, tot tantasque se in Germaniam copias adducturum, quantas nunquam ipse vidisset. Quam insolentiam risu excipiens, Otto renunciari Hugoni jussit: non ideo se à restitutione affinis cessaturum; etiam *sibi tantum stramineorum pilorum esse copiam*, quantâ, non visam Hugoni, adducturus secum in Galliam esset, eosque haud vano hostibus terrori futuros. Egit sane hoc Imperator, & cum galeris istiusmodi, quibus cassides integrerantur, quales æstivo cæteroquin calori arcendo pro more tumerant, exercitum instruxisset, Galliam ingressus, urbibusque, Argentina, quam *Strasburgum* appellavit, Rotomago, Parisiis, aliisque expugnatis, folio Ludovicum restituit, Belgasque præterea, & Burgundos, Galliæ detractos, Germaniæ adjecit. Quo ipso minime stramineos & effœminatos, quales de ludibrio Hugonis audierant, sed fortes, & verius ferratos se ducere milites comprobavit. *Witichind. l. 2. & 3.* Addit Joh. Lampadius in *Mellificio*, part. 3. cap. 2. foculum ardente, eum super cassidem repræsentasse, qui motu corporis flamمام fuderit: hocque ostento territos, Francos fugam corripuisse.

VII. Inde anno **CMLVIII.** in Daniam movit. Cujus rex  
*Haraldus*

*Haraldus* non tributa modo negavit, ad quæ solvenda jam à patre, Henrico Aucupe, fuerat adactus; sed, eversâ quoque arce Slesvicensi, collocatum eò Marchionem cum omni præsidio trucidarat. Devictum ergo prælio Imperator, ad pacem petendam, fidemque in super Christianam cum omni populo amplexandam redegit, eâ conditione, ut regnum ab Imperio tanquam feudum possideret. Rediens è Dania, magnam item *Slavorum* partem, puta Windos, Obotritos, aliosque Balthici litoris, subinde deprædationibus viciniæ omni infestos, domuit, atque ad baptismum & Christianismum suscipiendum compulit. Iterum deinde anno LVI. seculi tumultuantes, clade insigniori affecit; quæ res in primis magnam Imp. famam, muneraque, & gratulationes etiam ex remotissimis quibuscunque locis, atq; ex ipsa adeo Saracenorum gente, peperit. Dicitur tum Imperator, pro incutiendo toties rebellibus metu, autori quidem seditionum, Consiliario cuidam oculos & linguam eruisse: ipsius autem Principis occisi, prætereaque septuaginta primiorum capita, hastis prælongis affixa, sublimi spectaculo, velut in corona, visenda omnibus exhibuisse. *Chron. Spangenb.* Sed neque sic tamen in quietem perpetuam perfidi isti dati; dum anno LX. denique ad internacionem fere deletorum bona prædæ militis exponerentur. Quo tempore *Hermannum Bilingum*, conspicuæ severitatis virum, Saxoniæ universæ præfecit Imperator, Ducatuque Lunæburgensi donavit; à quo longa omnis Principum istorum series. Severitatis illud exemplum hic privatus etiamnum dederat, quod villicos suos omnes; erant autem septem numero, cum in furto deprehendisset, suspendio affecit. *Witichind.*

VIII. Sequuntur *motus Italici*, tempore tamen bellis ha-  
etenus recensis longè priores; quorum causæ principes *Beren-  
garii III.* fastus, & Pontificum perfidia. Hic *Adelheidem*, Lotha-  
rii, regis Italæ viduam, in arce Canusina obsedit, cum ejus fru-  
stra pro filio Alberto (al. Adalberto, vel Alberico) nuptias am-  
biisset; Imperatorem interea se, filiumque Regem Romanorum,  
superbè jactitans. Fuerat jam semel clam Regina ejus custodiæ ex  
castro Gardæ ad lacum Benacum, quib; captam Papiæ, incluserat, e-  
lapsa: atque interea per memora & fruges misere latitarat; donec

ab Athone Comite in arcem Canusium reciperetur. In istis ergo angustiis constitutus, Atho, accedente etiam Agapeti II. Pontificis voto, Ottonis auxilium implorat, consciæque simul Adelheidis ei, tum viduo, conjugium pollicetur. Misit Imperator primò filium *Ludolphum*, quem jam antè, à lapsu graviter decumbens, honoris confortem legerat; quod deinceps tamen consilium magno cum Imperii incommodo mutavit. Sed, cum socordius is ageret, ipse cum exercitu quinquaginta millium sequitur, Conrado genero, Episcopo Moguntino, assumto. Canusium ad paucos vix dies adhuc contra vim oppugnantium sustinere sibi posse Atho videbatur; cum ab Ottone Imp. literæ ad ipsum, & Adelheidem, quas nuntius, unā cum Imperatoris annulo sagittæ alligatas, in arcem transmiserat, sunt præsto, adventum opemque Ottonis certam pollicitæ. Nec eventu res caruit. Arce enim expugnata, Imperator Adelheidem liberat, toroque Augusto mox Papiæ sibi jungit; Berengarium autem cum filio regno deturbat, filiabus in Germaniam alegatis.

IX.. Ista anno seculi LI. contigerant. Imperator, inçuntem vere Germaniam, comitante uxore novâ, repetitus, Conradum ad persequendas bellâ cum Berengario reliquias Italiæ præficit. Eum ubi cepisset Conradus, una cum filio Moguntiam perducit. Cæsar supplici nesis manibus palam facto, juratoque, insignia regni Italici sub pensionis annua lege certa reddit, Veronensi tamen & Foro- Juliensi Marchionatibus ademtis; quos Henrico fratri suo attribuit. Male ea Berengarii conciliatio, filium Imperatoris, *Ludolphum* habuit; cum præsertim & prægnans jam ex patre Adelheidis diceretur. Itaque, id ipsum pariter ægrè ferentem, Conradum jungit sibi: amboque, cum Friderico, Moguntino Archiepiscopo, conspiracyis participe, in Imperatorem conjurant. Quæ dissensio multo Germanorum sanguine stetit. Exitus tamen is fuit, ut, fracti Imperatoris virtute, culpamque deprecati, veniam omnes impetrarent; quanquam filius, iræ tenax, seriùs, postquam prælio prope Ratisbonam cum patre conflixisset, inque ipsa Ratisbona obseßsus diu, fameque coangustatus, pedibus se tandem nudis, vesteque sordida, non sine lachrymis, supplicem patri prostravisset.

X. Be-

X. Berengarius interea, *ad ingenium rediens*, dum malis domesticis Imperator conflictatur, multa tyrannide Italiam universam vexat. Unde denuò Ottonis ab Agapeto Pontifice suppœtiæ implorantur. Mittitur iterum valido cum exercitu filius Ludolphus, *anno* nimirum seculi *LVI*. nec improspèrè res gerit. Sed febri anno sequente is extinguitur. Cumque necdum crudelitatis interea Berengarius desisset, iter tandem, experitus denuo per legatos, *anno* scilicet *LXI*. Cæsar ipse suscipit, rege tamen anteà Ottone filio, septenni, Aquisgrani coronato, Brunonique & Guilhelmo Archiepiscopis per absentiam suam commendato. Is, captis partim vi, partim deditione urbibus, Berengarium fugat, Romamque progressus, à *Johanne XII*: is Agapeto successerat; diademata, inque fidem Romanos accipit. Sed quod, dum, Româ egressus, Berengarium Imperator persequitur, Papa Johannes, facto cum Alberto, Berengarii filio, fœdere, in urbem eum receperisset, omnesque Cæsari cupientes vel ejecisset urbe, vel interfecisset; redux in urbem, Imperator, ex qua cum Alberto Pontifex jam fugerat, Romanos novo fidelitatis juramento obstringit sibi, renuntiare omni deinceps juri, quod & olim fecerant, creandi Pontificis circa consensum suum, Cæsarumq; jussos. Synodus item celebrat, quâ Johanem Pont. accusatum de *homicidiis, perjuriis, sacrilegiis compluribus, deque incestu cum sororibus gemino, & quod in amorem Diaboli vina bibisset; eum ad aleam invocasset*, citat, nec comparentem sede dejicit, *Leone VIII*. ejus in locum surrogato. Ecce autem levitatem urbis ! Dum Romæ adhuc cum paucis hibernat Imperator : corrupti clandestinis Papæ dejecti promissionibus, Romani, motâ seditione, cædem Ottoni, Leonique intentant. At frustra. Fugati enim Germanorum virtute, seditiosi : Cæsarque, remissis etiam, deprecante Leone, quos exegerat ante, obsidibus, Spoletum abit. Sed nec iste rebellionum Romæ finis. Cum enim vix urbe Cæsar exiisset, Alberti molitionibus Johannes revocatur, Leo pellitur : &, cum, deprehensus in adulterio, ab ipso adulteræ marito, atque ab eodem occisus, Johannes turpiter periisset, *Benedictus* inconsulto Cæsare sufficitur. Quocirca Romam hic tertium reddit; urbem obsidione premit, fame urget, capit, exutumque Pontifica-

libus novâ Synodo, Benedictum ad Adaldagum, Hamburgensem Episcopum, in exilium mittit: atque ita, ordinatis Italiae rebus, anno LXV. in Germaniam redit. Eo ipso anno Leo VIII. vitâ fungitur. Substituit ei per Episcopos, Romam missos, Imperator *Johannem XIII.* Quem cum in carcerem, semper iidem, Romani compegissent: tum demum *exemplis fore opus*, pro retunden- da contumacia tanta, ratus, Imperator Imperium filio Wormatiz confirmat, quantâque potest, celeritate & copiis Romam reverti- tur; in auctores turbarum perquirit sedulò: &, licet vinculis jam solutum Pontificem offendisset, Senatores duodecim suspendit; su- spendit & Prætorem, sed crinibus ante, quam laqueo, cæsumque virgis, & asino versâ facie circumductum: Consules autem binos, bonis publicatis, pellit in exilium.

XI. Num vero satis hactenus turbarum & adversitatum pro piissimo Cæsare? Minime. Etiam è *Gracia* excitata ejus, exercitata- que virtus fuit. Miserat legatos ad Ottонem cum muneribus Græ- corum Imperator *Nicephorus*, antiqui fœderis, & tenendarum, quas Græci possederant hactenus, Calabriæ Apuliæque causa. Sed quia interea has Saraceni occupassent, & ipsi Romanensium seditio- nibus non parum implicati: bello inde ejeturus eosdem, Otto pri- vignam Nicephori, *Theophaniam*, Ottoni filio, dotisque loco terras illas roget. Promittit sponsa, atque in Calabria constituto loco ab Ottonis legatis expectatur. Tum vero hi, sponsam opperientes, op- pressi contra fidem à Græcis, partimque trucidati, partim comprehen- si, Constantinopolin missi sunt. Injuriam hanc & perfidiam cum pau- ci, qui evaserant, Imperatori renuntiassent; Comites fratres, Gun- therum, & Sigefridum, ulturos eandem, anno LXIX. in Calabriam mittit, à quibus fusi Græci, plurimi capti, pars naribustruncatis Con- stantinopolin remissi; cæteri, dum vitam redimunt, omni pecunia emuncti sunt. Odium ea res non leve apud suos Nicephoro contra- xit; quem, de muniendo palatio solicitum, fraude uxoris, *Johannes Zimisches*, per murum attractus, noctu obtruncat. Datus hic Nice- phoro successor, ut ejus mores emendaret, sponsam Theophaniam cum captivis, & amplissimis muneribus Romam mittit. Ubi post- quam magnificè peractæ essent nuptiæ, cum filio in Germaniam Im- perator rediit.

XII. De

XII. De Haraldi ac Danorum ad fidem conversione supra dictum; quam *insigni miraculo Poppo*, vir quidam religiosus, adjuvit. Hic enim, percontatus à Danis, an monitis obsecuturi suis essent, si ad flagrantis ferritactum manum suam illæsam confpexissent: universis haud dubiè parendum respondentibus, *candentem ferrilaminam*, *ceu chirothecam*, brachio induit, eamque, per omnes intrepidè circumlatans, ante *Principis pedes excussit*, *incolumi dextra omnibus demonstrata*. Episcopatum inde Arhusensem hic Poppo natus est. Danorum in hoc vestigia Suevi, Norvegi, Slavi, Curoni, Livones, Lufati pressere. Rugiorum item regina Helena fidei Christianæ presbyteros ab Imperatore petiit. Quin & Poloni cum Principe suo, *Miecislao*, Gnesnæ Christianismo initiati sunt; quam Evangelii lucē augurium portenderat Principis, *cæci quidem nati, sed anno ætatis septimo visu mirabiliter donati*. Joach. Pastorius in *Floro Polon.*  
*l. i. c. 14.* Mos inde geminus ad gentem fluxit: primus iste, ut Nobiles Poloni sub prælectionem textuum Evangelicorum, quæ ad aram in templis fit, *evaginatis ex parte gladiis*, fidei defensandæ promptitudinem præ se ferant: alter, ut Dominica Lætare quotannis (eâ enim prima religionis confessio publicè data) quidam *ejiciendorum idolorum* in oppidis *ritus* celebrentur. Sed & Miecislaiforo, *Geisa*, in uxorem accepta, rex Hungarorum ad fidem transiit. Debet sanc Imperatori huic Ecclesia, bellicis victoriis latè claro, *crecta simul de conversis hinc inde gentibus trophya*; debet ei scholas, templa, Episcopatus, vel ampliatos, vel fundatos; Magdeburgensem in primis Archiepiscopatum, in cuius fundationem ipsas XIX. auri tonnas insumpsiisse dicitur.

XIII. Obiit tandem Memlebiæ, aut, juxta alios, Quedlinburgi, apoplexiâ, anno seculi *LXXXIII. mo*, imperii *XXXVII.* sepultusque Magdeburgi est; ubi & statuam in foro, & hanc in Basilica D. Mauritii epigraphen sepulchri habet:

*Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ:*

*Rex, decus Ecclesiae, summus honor patriæ.*

Zonara teste, Romanorum more, in terrorem delinquentium *securim præferri* sibi publicè voluit. Fertur &, si quando firmare severius dicta vellet, *per barbam*, quam prolixiorem aluit, *jurasse*.

Stupra-

Stupratorem aliquando viduæ, ne quicquam pro ipso hac intercedente, postquam legitimæ intervenissent nuptiæ, decollavit; unde illud: *Bene fecit invitæ; justè judicavit ingratæ.* Cranz. Laudi & hoc veretur ei, quod prima fere de mensis *fercula inter pauperes* distribuerit. Quâ laude *Hatto* caruit, Episcopus Moguntinus, quem filio Wilhelmo sufficerat; qui, quod pauperes in horreo spe alimenti convocatos cremasset, ejulantesque per ludibrium mures appellasset, à *muribus in turri quadam*, quæ inde nomen, *juxta Bingium* oppidum in medio Rheni adhuc visenda, habet, *corrosus* interiit. Schaffnab. Cum, in conflictu adversus fratrem Henricum & complices, à suis magno numero desertus esset: occasione usus, comes quidam *Laurishamense cœnobium* ab eo petiit; quasi negare id, trepidorum statu, Cæsar non auderet. Sed negavit hic, *DEO sacrata in profanos usus vertenda*, in arbitrio id precatoris importuni linquens, si desciscere & ipse vellet. Quam æquo animo se, suamque barbam à Ducis cujusdam Suevi Ephoro probè *d' pexam*, propter præcipitatem de morte Ephori sententiam, tulerit, apud *Crusium*, interque Germanorum *Apophthegmata* legi potest. Addamus illud, quod *venas auri argenteique prope Goslariam*, quam ipse condidit quoque, aperuerit; & illud, quod *Wenceslao*, Bohemorum Principi, factà magni aliquid petendicopiâ, sacras quasdam è Galliæ liquias petenti, has quidem promiserit illico, sed adjecerit: *Interim & dona Imperatore digna à nobis accipe, Regium in primis decus, quo te ex dignitate tuâ merito decoramus: deinde tributo absolvimus.* Non admisisse tamen Wenceslaus unquam regium aut nomen deinceps, aut diadema, dicitur; quanquam tributi immunitatem, cum insignibus etiam fuscæ in clypeo candido aquilæ, gratus acceptarit. Dubravius l. 5.

### III. OTTO II.

I. Successor patris in Imperio Otto II, qualis jam *ante duodecennium* fuerat designatus, & anno *CMLXVIII.* coronatione Romæ publica confirmatus, virtutum quoque patris egit æmulum. Non sine causa sane Georgius Sabinus:

*Nec*

Nec fuit inferior Primo virtute Secundus:

Multa domi gessit prælia, multa foris.

*Rubeum seu Rufum* quidam cognomine à colore & crinibus rufis dixerat. Quæ insuper sit cognomina fortitus, paullo post dicetur. In utraque eum lingua, Latina & Græcanica, erudiri patruus *Wilhelmus* curarat. Et posterioris quidem notitiæ vitam deinceps, à Saracenis fugatus, debuit. Ut non immerito *vita baculum, & infortunii portum, doctrinam* sapientes appellarint. Symboli loco istud ei assignatur: *Pacem cum hominibus; cum vitiis bellum.* Quod ita Reusnerus interpretatur:

*Cum vitiis bellum, pax cum mortalibus esto.*

*Pax homines, sæva strux decet ira feras.*

Genuit ex *Theophania* *Ottонem III. & Hugonem*, Saxonie Ducem: tres item filias. quarum primam Adelheidem Alramo, cum titulo *Marchionis Montisferrati*, dedit. Quidam raptum antevertisse scribunt; quem ipsa à patre Adelheidis deprecata sit. Cæteræ duæ Abbatissæ factæ. Sed plures tamen ab aliis Ottoni huic filiæ tribuuntur.

II. Prima virtutis tirocinia sub patre, cum ex Calabria & Apulia Græcos & Saracenos profligaret, edidit. Mox autem auspicatus à morte ejusdem, anno nimirum *LXXII.* imperium, adversarium, post *Ragineri filios* in Hannonia rebelles, patrualem, *Henricum Bavariæ* Ducem, habuit. Is, ab Episcopo Frisingensi unctione sacra Ratisbonæ Cæsar inauguratus, fœdere Danos, Polonos, & Bohemos junxerat sibi. Sed, convictus priuò jure & rationibus in comitiis Altstetensibus, postea armis subactus, Imperium Ottoni patrueli cessit, Bavariæque simul Ducatu excidit, quem Ottoni, fratri Ludolfi filio, Duci Sueviæ, Imperator dedit. Cumque tertium rebellaret, exilio ipse & filius multati sunt. *Fabricius.* Inde in eos movit, qui cum Henrico, ad Imperium adspirante, senserant: & *Haraldum* quidem, Daniæ regem, prælio superatum, tributarium fecit, filio ejus obside accepto; Bohemorum autem Principi, *Boleslao* debellato provincias diripuit, & *Miescum* Polonum ad pacem petendam adegit. *Avent. Spangenb.* Meminit & alterius belli *Cranzius*, ab Ottone II. contra *Udalricum*, Bohemiæ Ducem, gesti, quod ipso eventu rarum & memorabile est. Hjuus filius *Bise-*

C

*tislaus*

tislaus filiam quandā Imperatoris, *Jutham* nomine, ex Monasterio Ratisbonensi rapuerat. Raptum ergo filiæ ulturus, pater latè omnia in Bohemia ferro & igne populatur. Iamq; intra teli jactum stabant, mox congressuri, duo exercitus. Tum ergo Iutha, causa caputque belli hujus, crinibus sparsis, scissaque unguibus facie, inter primas acies prosiliens, evocatum ad singulare alloquium, patrem precibus & lachrymis, ne serperet armorum furor, flexit: paremque facinoris, non tam ex malitia, quam amoris incendio admissi, veniam mox ipse quoque in genua prolapsus juvenis, Iuthæ maritus, impetravit. Fertur hæc ipsa Iutha, seu Iuditha, duobus præterea regibus, nempe *Miesconi* Polonorum, & *Petro* Hungarorum nupsisse: atque ita tres regum thalamos intrasse. *Chron. Pomarii. Trithemius.*

III. Lotharingiam deinde, Imperii provinciam, armis sibi vendicanti, *Lothario*, Franciæ Regi, se opposuit; nec infeliciter. Assertam enim Carolo, Lotharii hujus fratri, dono dedit eâ lege, ut, tanquam beneficiarius Imperii, in morem feudi provinciam posideret. Tulit iniquè istud Lotharius: ac proinde Imperatorem paulo securius, dimissis jam copiis, Aquisgranii morantem, cumque conjuge prandio assidentem, repentinâ urbis expugnatione perterrit, oppressurus eundem indubie, nisi fugâ sibi consuluisset. Et triduanæ quidem hostis direptioni urbs tum illa patuit, postquam prandum Cæsar rex absumpisset. Sed, pro vindicanda injuria collecto mox, ut potuit, exercitu, Cæsar Lotharium insequitur, agrumque Gallicum ad usque Parisiorum suburbia, quæ cremat, depredatur, vastatque; non sine mutuo tamen suorum dispendio, quos sub redditum partim Axonæ fluminis inundatio, vadi nescios, absorpsit: partim hærentes tergo copiæ acciderunt. In eam nihilo minus legem postea Rhemis concordia sancta est, ut Lotharingia, Germaniæ copulata, Imperii beneficium maneret; nisi quod tractuum quorundam avulsione minueretur, quos Episcopis Coloniensi & Leodiensi Otto tribuit.

IV. Novam porro bellum materiam ei *Basilius* & *Constantinus*, *Greci Imperatores*, fratres *Theophaniæ*, conjugis sue, prebuerunt, qui, conducto Saracenorum exercitu, Calabriam & Apuliam, Theophaniæ dotalitias, cum domi bellicis negotiis Otto distineretur, invaserant. Cum ergo &, spreto Leonis decreto, interea Romani ad lubidi-

Iubidinem creandorum sine auctoritate Imperatoris Pontificum rediissent, & bene quondam à Patre ordinatæ, res Italicæ turbari non parum ab Italib⁹ cœpissent: dilatam hactenus eò expeditionem anno seculi LXXX. mo cum Augustæ, Principumque, quæ Ecclesiasticorum, quæ Secularium, splendido comitatu, copiis ingentibus instructus, suscipit: Romanque profectus, ante omnia vindicandas, *exempli patris monitus*, tot tantasque defectiones statuit. Qui ergo aut, celebrandi adventus sui causa, Romam confluxerant; aut jussi convocati ab eo comparuerant, Principes, ac legatos civitatum omnes ad *magnificum*, quod in *Vaticano* pararat, *epulum* invitat. Ut cuncti accubuere, præco, ne quis ad auditæ, visave, vocem mittere, aut sede sua movere se vellet, sub pœna capitis edicit: ibique extemplo convivæ omnes, intromissis armatorum catervis, ex composito circumveniuntur. Tum verò, trepidantibus ad tale spectaculum singulis, turbatorum ordine recitata nomina, tristibusque de illis pronuntiatis sententiis, inspectantibus cæteris, ultimum supplicium sumunt. Sic à fuso sanguine ad vina datus redditus, conviviumque mirabile comitate ac liberali invitatione celebratum. Ex eo inde Ottonicog- nomen *Sanguinarii* inditum.

V. Cui alterum mox, ut referam, successit. Etenim, recentito, auctoque Italorum auxiliis exercitu, postquam *Tarentum* jam expugnasset, haud exigua clade Saracenos, improviso fortè insulitu obrutos, afficit: ut, multo etiam insolentior inde factus, miles contemnere hostem, & agere remissius occiperet. Sed Græci illi, ne Italiam universa pellerentur, decernendum sibi prælio rati, *ad Basenellum* haud invitis etiam Cæsarianis dimicandi copiam faciunt. Primam aciem cum Itali sibi depoposcissent, non sustinere tamen hostis impetum, sed conjecti in fugam, exercitum omnem turbare. Germani, utcunque fugæ minus assueti, cum Imperatore tamen, valido præsidio nec opinantes nudati, proditique, cladem & ipsi, cædemque subiere, maximâ Illustriū parte simul occumbente. Nec fuga superstites servavit, æstu, fame, siti confectos. Imperator, abjectis ornamentis Imperatoriis & loricâ, ad mare abiit, naviculæque se committens, sub ignoto mercatoris habitu, piratas incidit; quorum manus, partim Græcæ linguae beneficio, cum Germanus non credere-

tur; partim natatu & fugâ effugit. *Sigebertus* à Theophania uxore, & Theodorico, Metensi Episcopo, qui Rossani confederant, prælii exitum præstolantes, lytro ingente redemtum, atque ita inhiantibus pecuniæ prædonibus, cum parum attentè captivum suum servarent, oblato equo pernicissimo elapsum esse refert. Ut hâc viæ oria Græci si voluissent, aut scivissent, Româ nullo tum negotio exuperas- sent. Sed curæ Dœo, cordique, in isthoc rerum articulo Cæsarem vel maximè fuisse, liquidò patuit; qui Beneventanorum quidem urbem, à quibus fugæ factum fuerat initium, cremavit, prædæque militum exposuit: Saracenos autem altero mox certamine, postquam copias recollegisset, instaurassetque, aggressus, tantâ affecit clade, ut *Pallida Mors Saracenorum, Pestisve diceretur*. Huc illud sanguinolentum convivium, de quo paullo antè, quidam trahunt, quasi & Romanis præpropera cum Beneventanis è prælio fugâ sic fuerit luenda.

V I. Per ejus absentiam *Slavi* interea, vel *Heneti*, cum, ir- rumpentes in Germaniam, Episcopatus hinc inde miserè infestas- sent, atque adfluxissent, repressi sunt denique, atque à Saxonibus & Thuringis, clade triginta millium & amplius, deleti. *Fabr.* Ipse Im- perator victoræ Saracenorum non diu superstes fuit. Quippe telo venenato, in ultimo cum iisdem congressu, saucius, cum & suorum, quam antè fuerat perpeccus, cladem ingentem, & uxoris Theophaniae, quæ Germanorum cladi isti, à suæ gentis hominibus illatae, haud parum insultarat, θηριαγενεσιας ægerrimiè ferret, accidente diarrhoea (quibus alii medicatam potionem, ob imperium ejus ni- mis asperum, addunt) anno seculi LXXXIII. etatis XXIX. imperii X. expiravit placide, Ottone filio in successorem designato. Sepul- turam Romæ in D. Petri atrio habet, impositâ sepulchro statua Sal- vatoris, benedicentis introeuntibus aut exeuntibus. *Mutius.* Bona sua moriens quadrigariā legavit, Ecclesiis, pauperibus, cognatis, & Ministris. *Chron. Martini.*

VII. Primum ajunt, Episcopatibus ac Monasteriis tempo- ralem hinc inde, quam vocant, jurisdictionem tribuisse, Prælatis- que Duces, quasi beneficiarios, subjecisse. Cœnobium Memlebi- anum, quod Monialium fuerat hactenus, Monachis concessit. E- piscopo autem Paderbornensi crucem auream donavit, cum hac in- scriptione:

*Auri*

*Auri sexcentas crux hæc habet aurea libras.*

Justitiæ aliquem rigorem illud arguit , quod Geronem Comitem cum Waldone monomachia commiserit ; in qua cum ambo interrissent , decollari Geronem etiam demortuum jussit . Cujus tamen eadaver filiæ , Alslebiensi id Comitatu , totaque hæreditate redimenti , inhumandum tradidit . Accepta quoque ei Juris Saxonici confirmatio fertur , cujus exercendi causa diversa hinc inde Dicasteria constituit .

#### IV. OTTO III.

I. Annos vix XI. natus fuit Otto , cum , patre Romæ decumbente , auream à Benedicto VII. Papa coronam accepit . *Chron. Martin.* Unde *Puerum* cognomento Itali per contemptum appellavere . Is autem sapientiâ , rebusque præclarè gerendis , id effect , ut altero cognomine *Mirabilia mundi* , seu , quod æquipollenter in *Historia Vniversali Christi*. Adam. Rupertus cap. 18. ponit , Miraculosus diceretur . Cujus nominis ætiologiam tamen Wilh. Stratemannus in *Theatro Historico* , *Exitu* 8. ab ancipite , & ambigua fortuna arcessit . Eum in literis Gilbertus , juxta alios Gerebertus , haud vulgariter eruditivit ; quem *Gilbertum* Pontificem dein , *Sylvestri II.* nomine , Imperator , discipulus longe gratissimus , renunciavit . Linguam Græcam à matre Græca , quasi cum lacte ejus , haufit ; ut non immerito *cum Germanica fortitudine Græcam prudentiam conjunxit* existimetur . Sed & cura ei atque institutio cum Coloniensis , tuin Moguntini Episcopi , tutorum , haud parum profuit . Episcopum hunc Moguntinum , cui *Willegis* nomen , plaustrario natum , Præfulum istorum insignibus rotam intulisse , atque hinc inde per conclavia hanc sui commonefactionem scripsisse ajunt : *Willegis* , *Willegis* , *memento* , *unde veneris* .

II. Et ætatis respectu , & quod matrem Græcam exosi quidam Proceres essent , *imperii* mox *æmulos* invenit . Præter *Crescentium* , al. *Crescentem* , Cos. Romanum , qui recuperare Italiam , atque ad se traducere Imperii axioma studuit , de quo mox ; in Gallia *Lotharius* , etiam ob creptam sibi ab Ottone II. Lotharin-

giam adhuc iratus, spe dignitatis Imperatoriæ arma corripuit; quæ vero in foedus cum Cæsare amicum mox desiere. In primis autem in Germania patruus Ottonis magnus, *Henricus* Bavarus, tutelæ eum prætextu factiosè custodivit; jamque palam Quedlinburgi Imperatoris à Principibus proclamatus, etiam sororem Ottonis Adelheidem ad se abduxerat. Sed, qui parenti Ottoni II. fidem juraverant, Principes reliqui, Saxones præsertim, puerum Ottoneum, Henrico extortum, & solenni corona, Aquisgrani insignitum, in Imperio confirmant. Henricus odio Ottonis Bohemos quidē excitavit, ut in Misniam irruerent. Fusi tamen bis Bohemi: & Henricus, cum Francofurti anno *LXXXVI.* supplex veniam peteret, etiam restituto sibi Bavariæ Ducatu, quo pater eum Otto II. peplulerat, in gratiam fuit receptus. *Func.* Dux quoque Bohemorum, *Miesco*, oblato inter alia munera camelō, tum primum in Germania viso, Imperatoris se clientelæ permisit. *Chron. Saxon.* Dithmarus, lib. 4. *Chron.* coætaneus Ottonis huic III. his verbis Cæsar rem eum Quedlinburgi egisse scribit: *Henricus ei Bavarus ad mensam, Conradus Marchio ad Cameram, Hecil ad cellarium ministravit, Bernhardus Saxo equis præfuit.*

III. Ut ergo & Crescentii Romæ sopiret turbas, à *Johanne XVII.* Pont. invitatus eò venit. Johannem hunc Crescentius, arrogato sibi urbis imperio, in Hetruriam ejecerat. Inaudito autem Imperatoris in Italiam adventu, Crescentius, memor exemplorum, quæ superiores Cæsares Romæ statuissent, eum venerabundus revocavit, pedum quoque dignatus osculo. Cum vero, antequam Romanum Cæsar perveniret, Johannes iste decessisset, *Brunnonem* ei, agnatum suum, Othonis I. pronepotem, nomineque mutato *Gregorium V.* dictum, substituit; à quo & diadema imponi sibi unâ cum Augusta passus est. Ita cum pacata satis Roma videretur; ubi tamen occultè adhuc dolor ingens gliscet, de utriusque fastigii, & Pontificii, & Imperatorii, potentia ad Germanos translata: voti causâ ædem Michaelis Archangeli, in Apuliæ monte Gargano sitam, visitavit, simulque terras istas sibi subjugavit. Vix autem Germaniam repetierat Otto, cum Crescentius, denuo furens, proque Cæsare se gerens, exagitato Gregorio,

Græ-

Græcum quendam, *Johannem XVIII.* Pontificem creat, seque cum Papa suo moli Adriani, quæ inde arx Crescentii dicta, includit. Extoris Gregorius opem implorat Cæsar; qui, Romam *anno II M.* redux, agnatum restituit; Johannem exoculatum, naribusque truncatum de Capitolio præcipitat; Crescentium autem, misere item mutilatum, atque vili jumento flexâ retrorsum facie circumiectum, ad portam cum XII. aliis molitionum sociis suspendit. *Spangenb.* Petrus Damianus, auctor his temporibus proximus, à vulgo Romano Johannem Antipapam isthoc cum ludibrio per urbem circumductum, antequam portæ Cæsari aperirentur, scribit.

I V. Dicitur tum Otto, ipse improlis, utque æmulatoribus apicis Cæsarei obviam iret in posterum, auctore vel consentiente Gregorio Pontifice, *decretum* condidisse, ut eligendi jus Cæsaris exin petes solos Germanos esset.. De hoc Chronicon Hirsviensis: *Gregorius V. congregata Synodo statuit, consentientibus Romanis & omni Clero, ut Imperium Romanum perpetuis apud Germanos futuris temporibus permaneret;* ita ut Germania Principes per Ottōnem III. deputati habeant jus & potestatem Imperatorem eligendi: quæ constitutio jam per annos DVI. usque ad me (verba sunt Triphemii Abbatis) inviolabili stabilitate servata est.. Necliquet tamen satis, an ad certas adeò Germanorum familias potestas ea eligendi Imperatoris fuerit restricta.. Certum est, sub Othonem demum IV. Electorum VII. mentionem apud legitimos Scriptores fieri. Certe & Fridericum I. Barbarosam, & Henricum, filium ejus, & cunctis Germania Proceribus electos.. Ut vero non sit absimile, à Friderico I. ad usque Friderici I. tempora demum, ipso usu potentiorum, per schismata præsertim & interregna, accedente paullatim consensu, vel' concessione etiam unanimi, paucorum cœpisse id fieri, quod antehac fuerat omnium.. Quæ res Ludovici dein Bavari, aut certè Caroli IV. sanctione disertius stabilimentum cepit. Videndus Heigius in *illustr. q. 3. & seq.* Peucerus fol. 766. Calvisius in *Opere Chronol.* Goldastus, & alii.

V. Sed & *Vandalos*, *Danosque*, quos ab Imperii finibus arceret, diversis temporibus habuit adversarios. Anno Seculi I M. o sacram peregrinationem ad sepulchrum S. Alberti in Poloniā

niam suscipit, cuius, à Borussis trucidati, Gnesnam ossa fuerant perlata. Ibi cum à Boleslao Duce magnificè prorsus eslet habitus, regem eum creat, Archiepiscopalem simul Gnesensem Ecclesiam statuens. Grati animi causa viciissim Imperatori rex novus Alberti brachium, argento eleganter inclusum, donavit. Cuspiianus part. 2. lib. 3. auctor est, Caroli M. tum monumentum quæsumum ab Ottone, ac apertum fuisse; deque corpore Caroli, quod aureo diadematè redimitum, solioque insidens, Imperator offenderat, togam eum, & crucem auratam asportasse; ossa autem sepulchro condidisse. Quem ideo nocte secutâ Carolus reprehenderit, orbitatis pœnâ denuntiatâ. Cæterum nec prodigiorum vacua illa Seculi Decimi clausula fuit; ut quæ, post ingentem *terra motum*, *Cometam*, fulguris instar illabentem terris, eoque sensim evanescente, figuram serpentis, crescente capite, pedibusque cæruleis, exhibuit; pro notanda procul dubio eâ, quæ tum magis magisque orbi Christiano incumbebat, antiqui *Serpentis seductiones*; eo præsertim Vicarium se Christi in terris perhibente, qui, pro lucrandis mundi lummis honoribus, pacto singulari præstigiatori inferno fidem addixerat.

VI. Fuit hic *Sylvester II.* de quo antea; quo præsidente, dum novorum Romæ tumultuum causa Italiam petit Otto, & Ravennæ in honorem Alberti Monasterium fundat, à Romualdo Presbytero ad vitam monasticam amplectendam exstimulatur; quod ipsum quoque Imperator, ubi Româ Ravennam, compositis motibus, rediisset, promittit. Ei autem respondisse tum voce præsagâ Romualdus dicitur: *Si Romam iveris, Ravennam amplius non videbis.* Vaticinio minimè exterritus, cum Romam perrexisset Imperator, legesque tum Clero, tum Urbi, collapsa instauratus, præscribit; odium omniū incurrit; quod urbs *libera* diceretur, & *regere, non regi nata.* Conspiratur ergo in ipsum, jamque magna exercitus ejus parte occisa, obfessus in Capitolio, capitis discrimen adit. Id ubi tum Marchio Brandenburgicus, *Hugo*, quem Thusciæ Imperator præfecerat, cognovit, in urbem accelerat illico; &, arbitrum se inter Cæsarem & Romanos pollicitus, dum longiori sermone populum moratur, Cæsari, jam istius rei commonefa-

monefacto, elabendi ex carcere copiam facit: eumque mox ipse eosdem per cuniculos consequitur. Quod indignantibus deinceps Romanis, optimè se consuluisse iisdem respondit, averso ab urbe & paricidii dedecore, &, quod incursuri ideo fuissent, gravissimo bello. Dress. fol. 431.

VII. Cæsar dum, illatas sibi Romanorum injurias vindicaturus, in Germaniam properat, sub ipsum ei redditum muneris loco à Crescentii vidua, cum qua familiariūs vixerat, chirothecæ mittuntur, quas subdola amica, ægrè ferens, sperato se Imperatoris conjugio excidisse, veneno tinxerat. Illarum contactu pustulæ ex toto corpore prorumpentes, accepti vaticinii malè incuriosum, Imperatorem anno MII. etatis XXX.º imperii XIX. necant. Cranzius & Henricus Mutius poculi quoque venenati mentionem faciunt, quod fraude Italorum hauserit. Corpus exanime successor Henricus, comes itineris, Augustam Vindelicorum reportavit, ubi condita ejus intestina sunt, cadavere cætero Aquisgranum misso. Extat in templo Afræ Augustano hoc ejus Epitaphium:

*Romani Imperii decus amplum, Tertius Otto*

*Ossa in Aquis Grani, hic viscera clausa tenet.*

Symboli vice hæc verba usurpat: *Unita virtus valet; in quæ Reus-merus:*

*Plus virtus unita valet: vis nescia vinci,*

*Si mens una, fides una sit, una manus.*

Golzius hoc ei tribuit: *Facile singula franguntur jacula; conjuncta non item.*

VIII. De uxore adhuc pauca; quam non sterilem modo, sed & petulantissimæ libidinis habuit, *Mariam* nomine, ortu Aragoniam. Ea sub cubiculariæ prætextu, habituque, juvenem adulterum diu foverat. Ubiconstitit de hoc, coram convocatis ideo Principibus juvenem spoliari veste, & deprehensum cremari Cæsar jubet, veniâ quidem impræsentiarum adulteræ datâ. Sed quæ, nihil inde emenda, cum in Italia circa Mutinam Comitem quendam stupri intentati, ad quod frustra ipsum solicitarat, apud maritum perperam detulisset, infontisque pœnam exigeret, hanc ipsa meritissimò tandem incurrit. Etenim Comes, utpercundum sibi creduli Imperato-

D

ris ju-

ris iudicio vidit, innocentiae suæ consciam uxorem reddit, utque testari hanc animo imperterritu apud Imperatorem, se mortuo, velit, modis omnibus obtestatur. se quidem vel millies ante occubiturum, quam prodidisse immane Imperatoris probrum diceretur. Vix reseratum manu carnificis viri caput fuit, cum, deosculata illud, quâ potuit, diligentia ablatum recondidit. ubi lacte quoque mutatum cruentum haud obscurè iniquitatem supplicii evicisse, Cæsaremque consternasse animo, ajunt. Conventu deinde ad Roncalias instituto, quo die jus viduis dicebatur, mulier, progressa in medium, de occiso injustè marito, Imperatorem ex lege ad supplicium postulavit. Quâ voce auditâ mirabundus Otto: *At tu quonam pacto, inquit, viri tui innocentiam comprobabis?* Cui illa, *Candenti laminâ*, inquit: atq; mox, inspectantibus cunctis, allatum jussu Ottonis ferrum ignitum impunè tractavit. Ea re Otto confusus, se quidem pœnâ dignum facteri: verum ad subeundam eam spatiū postulare. Tum mulier, tribus vadimoniis dilatis, *Atqui, inquit, ego supplicio reginæ contenta sum. cuius nefariâ calumnia maritus meus est oppressus.* Otto muliere collaudatâ, reginam igne cremari jussit; mulierem vero propter dilata sibi vadimonia, quatuor in Etruria castris donavit. Caspar. Hedio in *Hist. Eccles.*

## V. HENRICUS II. SANCTUS, item CLAUDUS.

I. Cognomen ei *primum pietas*, & collata in Ecclesiasticos beneficia pepererunt. Ut enim Cuspinianus: *Non minus vita sanctimonia, quam fortibus gestis insignis fuit: quæque ceteri Reges gladiis, hic pietate, religione, ac bonis virtutibus peregit; & magis precibus apud DEV' M, quam armis triumphavit.* Alterum ei cognomen causus dedit, quod, cum in bello Italico Papiæ pertumultum obsidetur, de muro se præcipitans, femur luxarit. Alii læsum tum pedem ajunt, cum, à Græcis & Saracenis captus, clisis custodibus de conignatione superiori prosiluit. Fabula Pontifícia de *contactu Angelis*, unde, Jacobi instar, claudicare Henricus cœperit, vix digna relatu est. Refertur tamen à Nauclero, vol. 2. gener. 34. Helmoldus & Schede-

Schedelius eum *Pium Humilemque* agnominant. Sane, uti ejus ex *Victore Prosopographia* habet, ob vitæ innocentiam, & insignia miracula post mortem in *Divorum catalogo adscriptus* est. Quibusdam & *Monachorum pater*, à propensissimo in ipsos affectu, dictus fuit; uti aliis *Hungarorum Apostolus*; quod auctor nempe iis conversionis ad fidem Christi extitisset. Itali inter Henricos *Primum* eum numerant; quippe Henricum Aucupem, alias *Primum*, catalogo Imperatorum expungunt.

I L. Quanquam autem patria hic Imperator *Bavarus* fuit, sanguine tamen fuit *Saxo*; patre natus Henrico Hezelone, avo Henrico Rixoso, Ottonis Magni fratre; à quo Bavariæ Ducatum acceperat. quam genealogiam tamē disputant quidā. Literis excultus humanioribus in *Collegio Hildesheimensi* fuit; quod non parum postea locupletavit, & amplificavit. Emblematis loco habet: *Ne quid nimis, Item: Nihil impensè ames, ut in nullo contristeris.* Conjugem sociavit quidem sibi *Cunigundam*, Sigefridi Palatini ad Rhenum filiam: sed cum ea ex compacto castitatem ad mortem usque fovit ac servavit. quod in dubium tamen Johannes Cluverus in *Epit.* vocat; cum nullam ejus rei mentionem Dithmarus, Henrici coætaneus, sat curiosus cæteroquin etiam somniorum monasticorum annotator, injiciat. Verba Imperatoris, quibus jamjam moriturus propinquis convocatis Cunigundam tradidit, consignata passim leguntur; hæc nempe: *Recipite vestram, quam mihi tradidistis, virginem.* Legitur & hoc apud *Compilatorem veterem*. & *Mutium* de casta hac Imperatrice miraculum. Incusata apud Cæsarem maritum fuerat adulterii. Hoc ergo cum uxori is exprobraret, diem constituit ipsa solennis testimonii, de pudicitia sua ultrò edendi. Cujus autem? Convenerant de jussu Imperatoris non pauci Principes, in quorum oculis, die constituto, vomeres cudentes septem manu illæsa flammis exemisse, nec portasse tantū, sed calcasse etiam nudis pedibus dicitur. *Histor. Bambergensis.*

III. Hæc ipsa Historia Bambergensis cent. II. fol. 674. vi-sum Henrici commemorat, quod habuisse per somnum Ratisbonæ in templo ad sepulchrum Wolfgangi, quasi quoddam Imperii augurium, dicitur. Jussus enim respectare ad parietem, scripturam invenit, monentem, ut post sextiduum eventura adverteret.

D 2

Mor-

Mortem ergo ominatus, faciendis eleemosynis, atque aliâ viâ, huc se præparavit. Sed tandem *dies* isthoc numero *annos* significatos sibi comperit, quibus elapsis ad Cæsarianæ dignitatis fastigium evehendus esset. Evidem nec sine dissidiis electio, nec sine invidia, turbisq;, imperium omne fuit. Regni sane insignia ab *Heriberto*, Præsule Coloniensi, ut quæ jure hæreditario, tum electio-  
nis, ad se pertinerent, extorsit; ac *quibusdam*, ut Sigebertus inquit, *Principibus* sibi conciliatis, *Rex Germaniae* lectus, sacram à *Willigiso* Archiepiscopo, carpentarii, ut supra dictum, filio, *inunctionem* accepit. Quam impedire primùm *Eccardus*, Marchio Saxoniz, Ottonis Magni ex Ludolpho, Sueviæ Duce, pronepos, enixe studuit. Et fuerat hic jam pro rege Hildesiæ exceptus; ut quem nec rerum gestarum auctoritas destituebat; nec exigua Saxonum suffragia ju-  
vabant. Sed desertus is à suis, & proscriptus, tandemque insidiis Sigefridi, Northemii Comitis, circumventus, periit. Inde *Her-  
mannum*, Sueviæ Ducem, ac *Brunonem*, Episcopum Augustanum, fratrem germanum, inaugurationem quoquo modo impeditentes, ac diadema sibi invidentes, sapientiâ suâ èò adegit, ut, culpam depre-  
cati, gratiam quærerent; quam & invenerunt. Mox & *Henricus*, Marchio Austriae, cum Ernesto filio, Bavariae inhians, bello Hen-  
ricum est adortus. Sed & hi fusi; & filius quidem, à suspendio *Principum* intercessione vix liberatus, in exilium relegatur; Pater autem ad Bohemos fugit. Unde cum deprecatores ad Cæsarem mitteret, modico carcere punitus, gratiam impetrat.

IV. Tum vero potentem ac pertinacem in primis adversarium naëtus *Ardoinum* ( al. Arduinum, item Hardvigum ) Lombardum, Eporædiæ Marchionem, quem frequenti concilio Itali Papiæ, regem Italiz creandum decreverant; cum ipse pacandæ interea Germaniæ incumberet: Ottonem Ducem valido cum exercitu adversus eum misit. Sed Ottonem Italiz aditu, ad Alpes sese opponens eidem, Ardoinus exclusit. Igitur ipse paullo post Imperator, anno nimirum *MV.* secutus, Alpibusque superatis, Ar-  
doinum bis cædit, & conversis ad se Principibus, Papiam usque penetrat. Ubi ab Archiantistite Arnolpho, regnique primoribus in regale solium collocatur; non sine tumultu tamen Ardoini fauto-  
rum,

rum, quos suâ sibi dudum conniventia is conciliarat. Jam, occisâ Cæsar's custodiâ hi, palatioque expugnato, captivum Henricum tenebant; cum effractis portis, qui foris hactenus fuerant, Germani in civitatem irrumpunt, cives trucidant, urbemque incendunt & diripiunt. Hic est ille tumultus, per quem, properans ad suos è carcere, Imperator lapſu improviso pedem luxavit. Papia digressus, Mediolanum petit; sed eam non intrat. Inde redux in Germaniam, novam bellorum undique sementim opprimit.

V. Postquam enim *Bolslao*, Bohemiæ Principe, fugato, fratrem ejus, *Jarimirum* reduxisset: *Baldwinum*, Comitem Flandriæ, Lotharingiæ arcet. Hanc, Duci Arduennæ, *Godefrido*, post mortem Ottonis, qui ultimus ex stirpe Caroli M. masculâ eam tenuerat, donarat. Ægrè id tulit Balduinus: ac proinde armis patruum Godefridum prosequebatur. Sed Cæsar, hunc tutatus, anno seculi VI. Flandrum coercuit, pauloque pòst, receptum in fidem, majoribus etiam honoribus auxit. Eo anno & *Polonos*, qui ad Albim usque vastarant Imperium, ad pacem petendam adegit. Mox *Henetos*, ad vomitum, & idola reversos, armis domat, vastatosque ab iisdem Episcopatus, Mersburgensem, Misnensem, & Magdeburgensem, aliosq; instaurat, & novis donationibus auget. Deinceps & *Cunigundæ* fratres, *Henricum*, Bavariæ Ducem, & *Theodoricum*, Metensem Episcopum, ex hac causa invenit hostes, quod, alias inter pecunias, etiam dotem uxoris in sacrificulos ignavos, atque in primis ad locupletandum Bambergæ Episcopatum insunisset. Hunc nempe Episcopatum, extincto sine mascula prole Reinholdo, Comite Babebergense, vel Bambergense, is primus, nequicquam contradicente Episcopo Wurzburgio, fundavit, tamque splendidè exornavit ac ditavit, ut non exemptus tantùm ab Archiepiscopali inspectione esset; sed etiam præcipuos Germaniæ Principes, ipsosque adeo Electores feudatarios hujus Episcopi, & vasallos, Imperator faceret. Suntque duo primaria urbis templa anno MXI. per Patriarcham Aquileiensem in præsentia XXX. Præsulum dedicata, alterumque D. Archangelo, alterum D. Benedicto consecratum. Sed & hosce pacavit hostes, acieque victis ignovit. *Sigeb.*

V I. Anno seculi XIV. evocatus à Benedicto Papa, Romam proficiscitur, ibidemque cum conjugé coronatur. Ardoīnum tamen in gratiam recipere non vult, quod ita viribus exutum putaret, ut turbare nihil amplius posset. Hic autem, reverso in Germaniam Cæsare, Italiam denuo affligit. Annis sequentibus, partim cum Polonis, partim cum Bohemis, conflixit denuo, quam utrinque non satis feliciter. Sed res ad pacem undique redierunt. Ad dedicandum autem Bambergensem Episcopatum ipse anno XIX. Papa Benedictus, rogante Cæsare, venit; cumque dono hunc à Cæsare accepisset, censum annum eō, equum album cum phaleris, & centum argenti Marcas constituit. In dedicatione hac novi Episcopatus quidam accidisse ajunt illud, quod de Babone, Barone Abenspergensi, ejusque filiis notissimum legitur. quanquam alii Ratisbonæ rem contigisse narrant. Erant Baroni huic ex duabus legitimis uxoribus XXXII. filii, & VIII. filiae. Jussus autem venationi forte cum paucis interesse, ipse quidem non nisi unicum adhibet ministrum: ceterū filios istos omnes cum singulis ministris simul in conspectum Cæsar is adducit. Rogatus porro de tanto comitum examine, cui pauci mandati essent, se quidem non nisi uno cum equite famuloque præsto esse, ait. Ceteri autem, inquit, sunt tui, Imperator, famuli, filii mei, quos tuæ Majestati, in pace decus, in bello præsidium, exhibeo, dono, dedico, patriæ educatos. Sunt adolescentes solertes; spero te dignos, & reipubl. utiles futuros. Appellatos benignè, filiosque nuncupatos, Cæsar adsciscit sibi, auctoresque familiarium illustrium futuros, dignitatibus, ac beneficiis ornat. Beat. Rhen.

VII. Tertiūm deinde anno XXII, Græcis Saracenorum auxilio Calabriam & Apuliam vastantibus, in Italiam tendit, partitis que copiis hostem prosequitur; Trojam, Apuliæ urbem, expugnatum evertit, recuperatasque Apuliam & Calabriam tutandas hinc inde Normannis, quorum opera fuerat usus, committit. In redditu ex Italia Robertum, Galliæ Regem, adhibet in colloquium sibi de Ecclesiæ & Imperii emendatione; Papamque ideo Ticini convenire decernunt. Sed destinatum mors præpediit; quam anno seculi XXIV. etatis LII. imperii XXII. mens. V. Grôningæ, secundum alios Bambergæ, obiit. Bambergæ sepulchrum habet. Elogium ei hoc tribuitur:

Magna



*Magna fuit gentes bello frenasse superbas*

*Gloria : sed major fama , fuisse pium.*

Studium pacis eo præ se tulit, quod primam mox in ejus ruptores  
sanctionem Merseburgi capitatis supplicio rogavit. Sororem *Giselans*  
elocare in matrimonium regi Hungariæ Stephano non nisi, si Chri-  
stianismum susciperet, voluit. quod ipse mox, & subditi fecerunt.  
Thuringos à tributo antiquissimo trecentorum porcorum , & pan-  
norum fere sexcentorum liberavit. De Ernesto, Sueviæ Duce, per  
venationem feræ loco ab Alberone Comite transfosso, cui poenit  
immunitatem mox ipse Dux moriens exoravit ; uti & de saltatione  
quadam, per coemiterium villæ *Kolbete* in Saxonia, quindecim vi-  
torum , cum mulieribus , Festo Natalitio cœpta, & ex impreca-  
tione Presbyteri in annum usque integrum durante, le-  
gi alia veterum monumenta possunt.

## I.

*M*Ajeriani nominis non immemor  
Vena licet perquam arida congratulor,  
Quod vera gestis eloqui de pulpito:  
Rogoque Numen, cuncta quod regit suo  
Natu, reducat ad Tuos Te sospitem  
Lætumque, quo prodesse plurimis queas.

*C. V. Wallenrod.*

## I I.

*S*unt quos castra feri juvant Gradi, i,  
Ac mistus lituo sonus Tubarum,  
Cæde & læthifera manus cruentæ.  
Hunc certare mero cadis repletis,  
Ad cantum citharaæ pedes moventem,  
Illum purpureis juvat labellis  
Conjunxitse suæ labrum puellæ,  
Hærentem niveis (malùm) lacertis.

*Sunt*

Quattuor in 1563

32.

Sunt qui remigio diem fatigant  
Et noctem indociles carere sorte

**Ampla:** En porro citus manens aperto  
Noctu sub Jove, trudit hinc apros &  
Hinc fidis canibus, feritque telis  
Venator levibus feras fugaces.

**Ast, MEIERE,** mihi colende amice,  
Est menti melior Tu & voluntas  
Longe, qui placidâ sacræ Minervæ  
Ardescis specie, illius palæstram  
Et nunc ingrederis, soluta crebro ut  
Pellas tela tuis; manu sagittas  
Quas adversa jacit caterva, docta  
Evites ratione: victor arte,  
Non hinc marte redi: vigil sed hocce  
Ultra perge, feres & omne punctum,  
Victricique manu trophæa figes.  
Tum sublimis honore parta summo,  
Orbis fida ministra Fama docti,  
Curru ad sydera Te vehet corusco.

*Hac levia Amico suo  
Singulariter colendo gratulabundus apposuit  
D. von R.*

III.


**D**um nunc in dubiam descendis, amice, palæstram,  
Sit mihi fas jussu pauca monere tuo.  
Anne magis laudem, aut præclaris gratuler ausis,  
Pol mea stant dubio pectora nixa pede.  
Non locus & tempus permittit utrumque. sed esto:  
Et laudo & cœpto gratulor usque tuo.  
Perfice quod cœptum est, nec Te labor iste gravabit,  
Scandere Parnassi culmina perge sacri.

*fecit*

Berndt von Arnimb/ Eques March.

F I N I S.

1071



# R I S

*gnificis , Admodum,*

*Consultissimis, Variorum in Pa-  
thodoxam meritorum pon-  
nè Conspicuis,*

**E**RO Pinfersten / J. U. D. Se-  
lectori in Supremo Appella-  
niliis, Scabinatus, qui Lipsiæ  
atriæ CONSULI:

**E**rn / J. U. D. Supremæ Curiæ  
s & Ducum Saxoniæ, nec non  
Lipsiensis Assessori, Reip. Pa-

**E**orenz von Adelershelin/Sere-  
tori à Cameræ Consiliis, Sca-  
st, Assessori, ut & Reipub. Pa-

**E**HELMO KULEWEIN,

**E**GERN, Reip. Patriæ Judici:  
**E**ELBERGER, in supremo  
æfecto:

**E**ICO Mayer / SS. Theol.

**E**RO, SS. Theol. Baccalau-  
Thom. Pastori:

**E**ribus, Patronis, & Affi-  
um suspiciendis.